

V.

Concil. Trident.
sess. vlt.
P. Lomb. lib. 4.
Dist. 45.
Psalter. ad D. Virgi-
nem accommoda-
tum.

Pontificij autem , quia de gratia Dei dubitandum vo-
lunt , non grata tantum celebratione Sanctorum memoriam
venerandam ; sed etiam (sicut Disputationis titulus innuit)
à viuis eos inuocandos , eorumq; suffragia, intercessiones , me-
rita, & auxilia imploranda esse , per enormem impietatem do-
cent .

VI.

Iustum enim Sanctorum inuocationis cultum multiplicis
impietatis , blasphemiae , & Idololatriæ plenissimum , verbo &
voluntati Dei è diametro contrarium , & in eo prohibitum es-
se ; Christianis Spiritus S. oraculis edoctis , ex Scriptura S. irre-
fragabiliter demonstrare , difficile haudquaquam fuerit .

VII.

Secundùm eam namq; vt vnicè ; sic rectissimè dijudica-
tur & examinatur , examinatumq; vel recipitur vel reproba-
tur , quicquid siue de dogmatibus , siue de cultibus in Ecclesia
Dei disputatur .

VIII.

Quòd si verò totam Scripturam Canonicam veteris &
noui Testamenti penitiùs excusserimus : nullum prorsus , nec
expressum huius Idololatrici cultus , nec implicitum vel man-
datum , vel testimonium , vel exemplum , quod probabili sal-
tem consequentia elici inde posset , nobis se se offert .

IX.

Quicquid itaq; ex fide (verbo Dei , tanquam inconcuso
fundamento , nitente) non est ; peccatum esse , nec placere Deo ,
cum Apostolis statuimus .

X.

Contrà verò , quod Deus ipse disertè per Mosen præcepit ,
Saluator in nouo Testamento repetit , omnibusq; sanctissimè
obseruandum proponit , dicens Matth. 4. Dominum Deum
tuum adorabis , & illi SOLI seruies .

Iure

Rom 14.v.vlt.
Hebr. 11.v.6.

Deuter. 6. v.13.

Matth. 4.v.10.